Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



et ingressus est in me spiritus. et statuit me super pedes meos et locutus
est mihi et dixit ad me. Ingredere et claude te in medio domus tue et tu fili hominis
ecce dati sunt super te funiculi et ligabunt te in eis. et non egredieris in medio
eorum. Et lingua tua adherebit faucibus tuis et eris mutus non enim
vir oburgans. quia domus exasperans est. Cum autem loquutus fuero tibi
aperiam os tuum et dicis ad eos. Hec dicit dominus deus. Qui audit au-
diat. et qui quiescat. quiescat. quia domus exasperans est. IIII.

Et tu fili hominis sume tibi lateres et pones eos coram te et delineabis
in eo civitatem Ierusalem. et ordinabis adversum ea obsidionem
et edificabis munitionem et circumvallabis aggere et dabis contra
ea castra. et pones arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem ferream
et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem. et ordinabis faciem
tuam ad ea. et erit in obsidione et circumdabis eam fili hominis et domum israhel
et tu dormies super latus tuum sinistrum et pones iniquitatem domus israhel super
eo numero dierum quibus dormies super illud et assumes iniquitates eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum
trecentos et nonaginta dies et portabis iniquitatem domus israhel et
cum completis. et dormies super latus tuum dexterum secundo assumes
iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Die pro anno die inquam
pro anno dedi te. et ad obsidionem Ierusalem convertes faciem tuam.
et brachium tuum erit extentum. et prophetabis adversum eam. Ecce enim
dedi te funiculis et non te convertes a latere ad latus donec completis
diebus obsidionis tue. Et tu sume tibi frumentum et hordeum. et fabam et lenticulam et milium et viciam et mittes eas in vas unum
et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum
trecentos et nonaginta diebus comedes illum. Cibus autem tuus quo vescaris erit in pondere viginti siclorum per diem a tempore usque
ad tempus bibes illum. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illum
et stercore quod egreditur de homine operies illum in oculis eorum. Et dixit
dominus Sic comedent filii israhel panem suum pollutum inter gentes ad
quas eiciam eos. et dixi. A a a domine deus. ecce anima mea non est pol-
luta. et morticinum et laceratum a bestia non comedi ab infancia
mea usque nunc. et non est ingressum os meum oris carnes immunda. Et
dixit ad me Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis
et facies panem tuum in eo Et dixit ad me Fili hominis ecce ego confrem